Ad Quodlibetariam

Quæstio Medica, matutinis agitanda disputationibus in Scholis medicorum die Iouis xxxi Januarii magistro Joanne Riolano Doctore Medico, et Professore regio, Præside sapientissimo.

An tot spiritus quot facultates.

ANIMA rationis particeps, formarum omnium præstantissima, ἐντελέχεια corporis organici potentia viuentis, vniuersam corporis humani facultatibus suis ab ipsa promanantibus œconomiam regit ac moderatur. Quarum principium est proximum, vt facultates functionum. Sunt autem facultates, vires illæ seu potestates quas anima tanquam de sinu suo promit ad obeundas functiones. Quæ licet innumeræ, ad tres tamen generales ordines naturalium, vitalium, & animalium commodè reuocari possunt, quem numerum pro triplici subiecto, in quo tanquam in proprio domicilio nobilissimè resident, colligimus: quodque totidem actiones à triplici organo proficiscuntur.

NATVRALIS facultas ab officio communi τρεπτικὴ dicta, cæterarum facultatum basis & fundamentum, dignitate cæteris inferior, necessitate superior, omnium ortu & origine prior, tam in fœtu quam in adultis, in hepate sita est, omnium actionum naturalium fonte, nutritionis, auctionis, & procreationis, quæ à totidem facultatibus nutrice, auctrice, & procreatrice deriuantur. Actiones vt obiectis distinguntur, ita & facultates instrumentis: Venæ Nutricis facultatis organa à iecore producuntur, vt Arteriæ Vitalis, à corde calidissimo, Nerui Animalis, à cerebro frigido propagantur.

VITALIS facultas singularum partium fugacem vitalitatem resarcit ac conseruat, quam fœtus habet à matre, quia cor immobile, propter anastomoses ad nutritionem pulmonum comparatas: vbi lucis vsura fruitur, semper à corde in omnes partes dispergitur, in quo suam sibi sedem vindicat, quod per diastoles & sistoles naturali & irrequieto motu, à cerebro nullatenus dependente, cietur, pectus & diaphragma in homine solo percutiens. Tertio & vltimo sequitur ordine Animalis facultas, quæ vt omnium est nobilissima, sic in editissimo, eminentissimoque loco capite scilicet, varijs figuris, suturisque differentibus efformato, collocata fuit: vt anima tanquam Rex in arce sua municipibus suis, partibusque subjectis omnibus imperaret. Ea facultas diuiditur in ἡγεμονικὰς & ὑπηρετικὰς, ἡγεμονικαὶ sunt imaginatrix, ratiocinatrix, & memoratrix, non locis quidem disclusæ, sed per totam cerebri substantiam diffusæ. ὑπηρετικαὶ vt sensitiuæ & motiuæ in cerebro mobili & sentiente, atque in neruis sensitiuis & motiuis consistunt.

CVM facultates sint quid incorporeum & accidentale, momento corpus nostrum absque duce & impulsore radiorum instar illustrare nequeunt, sed vectore spiritu idoneo earum subiecto egent. Propterea rectè definitur corpus æthereum, tenuissimum, facultatum sedes & vehiculum, primumque in obeundis actionibus instrumentum. Hic quamuis sit vnicus genere, ternario tamen numero vt facultas comprehendi potest, à tribus principibus partibus cum ijsdem exortus. Sed cum assiduo fluxu pereat & exhauriatur, spiritus influentis successione reparari debuit, qui pari numero constituitur cum insito.

TRES igitur spiritus specie inter se distincti. Naturalis qui fit in hepate ex tenui & halituosa alimenti portione, nec non ex aëre inspirato. Vitalis in corde ex naturali spiritu è dextro cordis sinu septum transuersum permeante, vt in sinistro ventriculo adueniente aëre in pulmonibus per se mobilibus præparato, perficiatur. Animalis demum ex aëre attracto, atque ex vitali ad cerebri basim per ceruicales & carotidas arterias sublato, conflatur: qui postquam in plexu retiformi & choroide præparatus fuerit, & in senis cerebri ventriculis elaboratus & absolutus, in omnes neruos à spinali medulla prognatos diffunditur, qui sensum & motum singulis partibus impertiunt, influente potius spiritu, quam substantiâ nerui disseminatâ.

Ergo tot spiritus quot facultates.

Propugnabat Lutetiæ Guillelmus de Vailly parisinus, anno Dni 1613.

Domini Doctores Disputaturi



M. nicolaus hainault
M Philbertus Guibert
M Joannes Pietre
M Joannes Cousin
M hieronimus Goulu Prof. Reg.
M Symphorianus haultin
M phillipp. hardouin de St Jacques
M nicolaus Marchant
M franciscus Duport.